

## DISPUTATIO V.

### DE MYSTERIO SS. TRINITATIS.

#### CAPUT I.

##### DE COGNITIONE MYSTERII SS. TRINITATIS.

De Mysteriorum hujus cognitione non aliter nobis agere proposuimus, quam quatenus ad veritatem illius, aut fidei de eo historiam pertinet. Itaque pro more aliorum hic non quaeremus, utrum Trinitatis mysterium humana ratione demonstrari queat, quod *Claudianus Mamertus*, *Petrus Abailardus*, et *Raymundus Lullus* affirmasse dicuntur. Praeterquam enim quod nulla Trinitatis demonstratio detur *a priori*; cum nulla ejus habeatur causa: nec etiam *a posteriori*; cum nullus Dei effectus ad extra Personae Trinitatis alicui sit proprius: nec aliud denique demonstrandi genus sit, aut nullum certe ad convincendum efficax proferatur: contrarium satis aperte docet *Scriptura S.*, sive dum universim fidei mysteria supra rationem humanam, *Prov.* 25. 27., 1. ad *Cor.* 2. 6., et 2. *ibid.* 10. 4. evchit; sive dum speciatim nostrum, eique innixum Incarnationis mysterium, *Isa.* 53. 8., *Matth.* 11. 27., et *ibid.* 16. 17. a vi cognoscendi creata removet. Cui consentiens sanctorum Patrum, maxime *ATHANASII*. Or. in illud: *Omnia mihi tradita sunt.* n. 6. et ep. 1. ad *Serapion.* n. 18. 20. *AMBROSI* L. 1. de fid. c. 10. n. 63. et *AUGUSTINI* L. 15. de Trin. c. 6. n. 9. chorus concinit, et constans omnium vulgo Theologorum sententia subscribit. Porro cum ex his ipsis principiis sequatur, sola duce ratione nec cognitionem aliam hujus arcani quamcumque haberi posse, de ea nunc solum agendum restat, quam praecessit revelatio. Quoniam vero Judaeis praesertim divina eloquia fuerunt concredita, et inde ad Christianos pervenerunt; an his duobus olim cognitum fuerit divinissimum mysterium, praecipue quaeremus: cui questioni subjiemus aliam et oppositam, a quibusnam scilicet Haereticis hoc fidei dogma fuerit negatum?

#### ARTICULUS I.

AN MYSTERIUM SS. TRINITATIS SIT ANTIQUITUS REVELATUM, ET A JUDEIS FUERIT COGNITUM?

283. *Nota.* Mysterium Trinitatis non fuisse olim apertissime revelatum, concedunt facile omnes, et hujus oeconomicae divinae rationes etiam afferunt PATRES; inter quas illa est *AUGUSTINI* in QQ. ex N. Test. c. 87., quod Deus altissimarum rerum cognitionem velut gradatim, et per incrementa



hominibus indulerit; hæc autem ISIDORI PELUSIOTÆ L. 2. ep. 143. (opp. p. 261. edit. a. 1585.) ne Judæi in multitudinem Deorum propensi, differentem hypostasibus naturam inesse putantes, in idololatriam laberentur. Præcontineri tamen in divinis Scripturis manifestationem hujus arcani, licet parcam et obscuram, voluit Deus, ut plerique PATRES consentiunt; tum ut eadem appareret fides omnium seculorum, tum ne Judæi Christianis novitatem dogmatum exprobrare possent. Id ubi probaverimus, de cognitione *Judeorum* certius quidpiam statuere licebit; quos in triplicem tamen classem distinguere oportet, ita ut ad primam Patriarchæ, Prophetæ, aliique sanctitate insignes, ad alteram Legisperiti et Scribæ, ad postremam communis et rudior vulgus reducantur.

286. *Dico I.* Trinitatis mysterium antiquitus jam fuit revelatum.

*Prob.* Multi sunt in V. T. textus, quibus ad probandum Trinitatis mysterium usi fuerunt Patres, et ex quibus notitia hujus arcani recte hauritur; ergo. *Ant.* ostendimus referendo textus, nominando Patres, et formando argumentum. Textuum

PRIMA CLASSIS. 1<sup>o</sup>. Genes. 1. 1. *In principio creavit Deus* (hebr. Elohim, Dii) *cælum et terram.* 2<sup>o</sup>. Ibid. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram... Et creavit Deus hominem.* 3<sup>o</sup>. Genes. 3. 22. *Et ait Dominus Deus: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* 4<sup>o</sup>. Genes. 11. 7. *Venite, descendamus et confundamus linguam eorum; cui præmissum erat: Descendit Dominus; et sequitur: divisit eos Dominus.*

Usus *primo textu* est AUG. L. 1. de Genes. ad lit. c. 6., et HADRIAN. P. in ep. ad Carol. pro SYN. NIC.: *secundo* JUSTIN. in Dial. cum Tryph. n. 62., EUSTATH. in Concilio Nic., AMBR. L. 6. in Hexam. c. 7. THEODORET. Q. 19. in Genes.: *tertio* S. JUST. I. cit., AUG. L. 11. de Genes. ad lit. c. 39., BASIL. L. 5. contra Eunom. n. 4. CYRILLUS ALEX. L. 3. contra Julianum (opp. t. 6. p. 96.): *quarto* CYRILLUS ALEX. Dial. 3. de Trin. (opp. t. 5. part. 1<sup>a</sup>. p. 471. 472.) BASIL. L. 5. contra Eunom. n. 4., NYSSEN. L. de testim. contra Jud. (opp. t. 2. p. 152. E.) THEODORET. or. 2. ad Græcos.

In his versibus vel conjungitur substantivum plurale cum verbo singulari, vel nomen aut verbum plurale per adjuncta reducitur ad singulare: neutrum vero fit sive ex Syntaxeos hebraicæ proprietate, sive ex linguæ illius usu ad honorem exhibendum, aut artificis consilium exprimendum, sive ex sensu horum textuum ad angelos directo vel pertinente; ergo fit oblatens aliquod mysterium: sed hoc non aliud est præter Personarum pluralitatem, et essentiæ unitatem; ergo.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p. min.* Plures Rabbinæ apud Galatin. L. 2. de arcan. Cath. verit. c. 9. hanc Syntaxeos proprietatem signate inficiantur, inter quos R. HUNA in Bereschit Ketana de primo textu sic ait: *Nisi sermo scriptus fuisset, non licuisset dicere, creavit Elohim; et R. JOANNAN* advertit pluralem numerum de Deo expressum contrahi per singulare adjectum, ut inde occasio multitudinis Deorum suspiciandæ Judæis eriperetur.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Nec historici styli est apud Hebræos neclere singulare cum plurali, ut ex libris Scripturæ historicis liquet; nec sermonis hebraici formula est, ut patet ex consueta illa salutatione: *Dominus tecum;* nec usus allocutionis ad Deum aut Principes directæ hebraicus est, ut constat ex invo-

calione Davidis 2. Reg. 14., Salomonis 3. Reg. 3., Jorami 4. Reg. 6., et aliorum; nec Dei aut Regis præcipientis phrasis est scripturistica, ut ostendit exordium Decalogi: *Ego sum Dominus Deus tuus,* et plura tum Gentilium tum Hebræorum Regum edicta litteris sacris consignata; nec mos hic est loquendi artificum, ut BASILIUS ostendit hom. 9. in Hexam. n. 6.

*Prob. 3<sup>am</sup>. p.* Præterquam quod sensum illum de angelis jam TERTULL. L. contra Prax. c. 12., AMBROS. et BASIL. I. c. in Hexam., et THEODORET. Q. 19. in Genes. rejecerint; et adjunctus contextus, et ipsa *textus secundi* propria significatio ostendunt, sermonem non esse cum angelis; cum homo non ad angelorum, sed ad Dei imaginem et similitudinem sit conditus.

SECUNDA CLASSIS. 1<sup>o</sup>. Genes. 18. *Apparuit autem Abrahæ Dominus... Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cum vidisset, adoravit in terram, et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum, et lavate pedes vestros, et requiescite... Cui dixit: Revertens veniam ad te.* 2<sup>o</sup>. Psalm. 32. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* 3<sup>o</sup>. Isa. 6. 3. *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. v. 8. Quem mittam, et quis ibit nobis?*

Usus est *primo textu* AUG. L. 2. de Trin. c. 11. et 12., HILAR. L. 4. de Trin. n. 25. 27. seqq., CYRILL. ALEX. L. 1. contra Julian etc.: *secundo* plerique Græcorum et Latinorum: *tertio* AMBROS. L. 2. de fid. c. 12. n. 106. 107., FULGENT. L. de fide ad Petrum c. 1. n. 6. et alii apud Leonem Castrium. In his versibus præter unitatem exprimitur Trinitas, ut patet: sed unitas pertinet ad naturam divinam, ut rursus constat vel ex ipso JEROVÆ nomine, et opere creationis; trinitas autem ad personas, ut in *primo* exprimunt angeli repræsentantes; in *secundo* nomen Domini, verbi et spiritus, quod in subjecta materia de accidente accipi nequit: in *tertio* adjunctum pronomen versus 8; ergo.

TERTIA CLASSIS. 1<sup>o</sup>. Isa. 66. 9. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus.* 2<sup>o</sup>. Eccli. 51. 14. *Invocavi Dominum Patrem Domini mei.* 3<sup>o</sup>. Psal. 2. 7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* 4<sup>o</sup>. Psal. 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo etc. v. 3. Ex utero ante Luciferum genui te.* 5<sup>o</sup>. Isa. 61. 1. *Spiritus Domini super me: eo quod unxerit Dominus me etc.* 6<sup>o</sup>. Joel. 2. 28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem.*

Utebatur *primo textu* CONC. HISPALENSE II. c. 13. (Labb. t. 5. p. 1669. B.): *secundo* PACIAN. in ep. cont. Novatian: reliquis, præter Patres plerosque, Christus ipse, et Apostoli Petrus et Paulus Matth. 22. 42., Luc. 4. 18., Actor. 2. 18., ibid. 13. 33., ad Hebr. 5. 5. Ex his versibus constat, dari in divinis Patrem, Filium, et Spiritum sanctum: ex iisdem ostenditur, hos ipsos distinguui inter se ac opponi: demum aliunde ex Scripturis manifeste habetur, unum duntaxat esse Deum; ergo hinc recte inferitur in personis trinitas, et unitas in essentia. Qui plura desiderat, consulat P. WIDENHOFER *Scripturam sacram dogmatice et polemice explicatam;* ubi et plerorumque dictorum vindiciæ principales videri possunt.

287. *Dico II.* Mysterium Trinitatis a 1<sup>a</sup>. Judæorum classe aperte, a 2<sup>a</sup>. subobscure, a 3<sup>a</sup>. vel valde imperfecte, vel plane non fuit cognitum.

*Prob.* Ex dictis constat mysterium Trinitatis fuisse olim revelatum, et in Scriptura consignatum; ergo hujus revelationis notitia saltem aliqua et ali-



quibus jam olim concessa asserti debet; cum, quamvis hujus veritatis fides olim non esset necessaria, tamen revelatio non erat de re modo futura aut præfiguranda, sed de re jam existente, et tantum apertius proponenda. Sed imprimis apertam cognitionem *Patriarchis, Prophetis*, aliisque sanctitate eximii concessam suadent tum superni luminis copia, tum aliorum mysteriorum prænotitia illis divinitus data, tum Patrum testimonia, inter quos CYRILL. ALEX. L. 1. contra Julian. (opp. t. 6. part. 2. p. 20.) AMBR. L. 1. de Cain et Abel. c. 8. n. 30. AUG. L. 2. de Trin. c. 11. et cont. Maximin. L. 2. n. 7. eam notitiam Abrahamo vindicant; EPIPHANIUS VERO L. 1. adv. hæreses hæc. 5. (opp. t. 1. p. 18. C.) universim sic scribit: *Una Trinitas semper in illa singulari Divinitate nuntiata, creditaque ab illis est, qui cæteris antecelerent, cujusmodi Prophetæ, atque eximia sanctitate præditi homines fuerunt.*

Deinde vero subobscuram notitiam penes *Scribas* saltem multos extitisse, probant tum eorum in perscrutandis Scripturis, et indagandis etiam minutis solertia et studium, tum Rabbiorum ante Christum natum celeberrimorum testimonia apud Galatin. 1. cit.; unde sufficiat, binas in Isaia c. 6. commentationes referre, alteram R. Simeonis: *Sanctus hic est Pater, sanctus hic est Filius, sanctus hic est Spiritus sanctus*; alteram R. Jonathæ: *Sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus sanctus.*

Demum vel nullam, vel omnino imperfectam ad vulgum Judæorum pervenisse, probant tum modernorum constans circa hoc mysterium error, tum œconomiae divinæ ratio.

*Conf.* Apertam *Divinitatis Messiaë* notitiam 1<sup>o</sup>. Judæorum *classi* convenisse, colligitur ex illorum Patrum sanctorum desiderio, quod ipse Christus Matth. 13. 17. et Joan. 8. 56. declarat; subobscuram *Legisperitis* negari non posse, demonstratur tum ex Christi monito, quo Joan. 5. 39. veritas remittit ad scrutandas Scripturas; tum ex traditione per antiquiores Rabbinos exposita de Messiaë venturi Divinitate: sed Messiaë incarnati Divinitas supponit *Trinitatis* mysterium, nec sine hoc cognosci potest; ergo.

288. *Observe.* Num et *Gentilibus* mysterium hoc innotuerit, quæri quoque hic solet; sed pro hujus quæstionis affirmatione nulla admodum extant solida fundamenta. Nam 1<sup>o</sup>. quæ pro Patre et Filio in divinis proferuntur ex oraculis magicis Zoroastri, supposititia plane sunt, aut ab Arianis assuta: 2<sup>o</sup>. Vulgaris illa *Mercurii Trismegisti* parœmia: *Monas genuit monadem*, et in se suum reflexit ardorem; vel rursus a Criticis inter spuria rejicitur, vel de creatione mundi, non autem de generatione filii intelligitur: 3<sup>o</sup>. Numerus ternarius, qui ab *Aristotele* et *Pythagora* commendatus dicitur, a præstantia arithmetica, minime autem a Trinitatis symbolo apud eosdem laudem tulit: 4<sup>o</sup>. Quæ demum ex *Platonis Timæo*, aliisque ejusdem vel sequacium libris sive de Verbo, sive de pluralitate in divinis producuntur, ea vel inducunt plures Deos, inter quos *Tagaton* sit primus et summus; vel commode exponuntur de ideis aut attributis divinis sine personali distinctione, quæ ipsa tamen notitia non sit hausta ex humana ratione, sed ex Judæorum libris aut commercio. Quod *Sibyllarum* carmina, si tamen ea jam genuina habemus, attinet, tametsi qualemcumque de Divinitate Christi cognitionem in illis probent, de præsentis tamen mysterio his Vatibus parum admodum, reliquis autem *Gentilibus* ferme nihil aperuerunt.

## ARTICULUS II.

AN MYSTERIUM SS. TRINITATIS CHRISTIANIS ANTENICENIS FUERIT COGNITUM?

289. *Nota.* Quo tempore definita est in Concilio Nicæno contra Arianos in Christi Divinitatem fides, pervulgatum etiam fuisse dogma de pluralitate *Personarum* cum singularitate divinæ essentialis, facile tribuunt *Hæretici* illi, qui memorata Synodi symbolum impugnant, unumque vel alterum illius ætatis Patrem, quantumvis plane invitum, ad suas partes rapere frustra conantur. Num vero et prioribus Ecclesiæ seculis fides eadem ac professio fuerit, acrius ab iisdem ac speciosius disputatur. Quæ quidem quæstio, cum et ad traditionem, dogmatis antiquissimam, et ad Patrum sanctissimorum orthodoxiam a calumniis vindicandam pertineat, operæ pretium est, ut hic exponatur.

290. *Dico I.* Patres trium priorum seculorum universim crediderunt et professi sunt mysterium Trinitatis.

*Prob. 1<sup>o</sup>.* EX CONCILII. DIONYSIUS-ALEX. Concilii Alexandrini contra *Sabelium* celebrati verba referens, in synodica epist. contra *Paulum Samos.* de fide Trinitatis Catholica ait (Labb. t. 4. p. 854): *Sic confessi sunt SS. Patres, et ut confiteremur ac crederemus, nobis tradiderunt.* CONCIL. ANTIOCHENUM I. contra *Paulum Samos.* coactum, professionem fidei suæ de Trinitatis mysterio ita orditur (Labb. t. 1. p. 843.): *Decrevimus, fidem scripto edere et exponere quam a principio accepimus, et habemus traditam et servatam in Catholica et sancta Ecclesia usque in hodiernum diem.* ALEXANDER ALEXANDRIÆ Episcopus in synodica epistola Concilii Alexandrini, in quo *Arius* depositus fuit, ad Alexandrum Byzantinum ita de Arii errore scribit (Labb. t. 2. p. 18. C.): *Istorum Hæreticorum impietatis faeces, hi qui nuper exorti Filium Dei ex nihilo ortum asserunt (quippe sunt velut stolones occulti ex illis nascentes) animis hauserunt.* In epistola autem synodica Patres Concilii CONST. I. ita de sua ac Nicæna fide loquuntur (Labb. t. 2. p. 964. B.): *Ista fides tum a nobis, tum a vobis, tum ab omnibus qui Verbum veræ fidei non pervertunt, approbari debet; quippe cum et antiquissima sit, et lavacro Baptismatis consentanea, et nos doceat credere in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti etc.*

2<sup>o</sup>. EX PATRIBUS. ATHAN. ep. 1. ad Serapion. n. 32. exposito et probato Trinitatis mysterio subjungit: *Consentiunt igitur in hujus rei demonstrationem sacræ Litteræ, ... sic Sanctorum doctrina colligitur, et una fides hæc est Ecclesiæ Catholicæ.* BASIL. L. de Spir. S. c. 29. n. 71. probans traditiones etiam non scriptas esse tenendas, et inter has dogma de Divinitate Spiritus sancti referens ait: *Quam qui ab initio statuerunt, tradideruntque posteris, usu semper simul cum tempore progrediente, ipsam longa consuetudine in Ecclesiis irradiarunt.* His addi meretur BASILII DIACONI, et reliquorum Monachorum ante Concilium Ephesinum I. ad Theodosium et Valentinianum directa supplicatio seu exhortatio, ubi hæc leguntur (Labb. t. 3. p. 425.): *Et primo quidem ab Apostolorum Principe Petro, secundum cognitionem quam divinitus perceperat, hanc palam confitente, posteritatis tradente: Tu es*